



Disputatio juridica inauguralis de patria potestate

<https://hdl.handle.net/1874/340694>

19

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
PATERIA POTESTATE,

QVAM
DIVINO FAVENTE NUMINE
Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. JOHANNIS van MUYDEN,
Jur. Utr. Doct., ejusdemque Facultatis in Illustri hac Academia
Ultrajectina Professoris Ordinarii, Dignissimi,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, & Nobilissima
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Et summis in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
rite, ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini subjicit

HENRICUS LAERMAN, Amstelodamensis.
Ad diem 6. Julii, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clo Icc LXXXVII.

*Spectatissimo , & maxime
reverendo V I R O ,*

D. BERNHARDO
L A E R M A N ,
apud Amstelodamenses Mer-
catori solertissimo , & Civi-
gravissimo , meo Mecænati
unico , filiali observantiâ in
æternum prosequendo , co-
lendo ,

Hasce Theses Inaugurales Juridicas ,

*Quantâ possum submissione ,
ac gratitudine ,*

Dico & consecro

HENRICUS LAERMAN , Filius .

Auct. & Resp.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,

D E

PATRIA POTESTATE.

THEISIS I.

PAtria potestas , quæ ab omnibus liberis reverenter habenda , Jus est , quod parentes in gnatos suos obtinent . Hujus origo ; extensio , tam in personas , quam res liberorum ; modus , quo diversimode solvitur , & quidem secundum leges , tam gentium , quam civitatis Romanæ , & nostræ , breviter & clarè , pro modulo nostro , delinébitur . Interim memores , nos , pro conditione filiorum , æquos in omnes parentes debere esse Judices .

II.

Jure gentium Jus parentum in liberos generatione

A 2 ac-

4 DISPUTATIO JURIDICA

acquiritur : tam patris , quam matris , quamvis pater , ob sexus præstantiam , si contentio sit , debeat præferri . Lege Romanâ , quæ juri gentium certam formam dedit , per justas nuptias , legitimationem , adoptionem obtinebatur , dans civibus certos effectus , quibus peregrini carerent . Moribus nostris vetera hæc effecta fermè omnia cessant , quum asperi & duri Romano-rum mores condimentis Christianæ libertatis paulatim mitigati sint , & ad pristinum jus gentium reducti .

III.

In personas liberorum jus parentum , moribus gentium , pro tribus temporibus diversum videtur : ubi imperfectum adhuc judicium , postulavit æquitas , ut liberi , qui se regere non possent ceu brutum pecus , mentis parentum indigerent . Ast ubi ætas cum judicio maturesceret , voluit eadem ratio , ut omnes actiones , quæ ad statum familie diriguntur , imperio parentum subessent ; in cæteris actionibus libertate quidem liberis relictâ , sed ita , ut in iis parentibus studeant placere , ex debito pietatis officio , ad quod , si desint , cogi vel emendari possunt . Hoc juré parens & filium vendere potest , si nulla alia alendi ratio suppetat . Tandem , ubi liberi ex familia excesserint , in omnibus sui juris sunt , manente tamen eodem pietatis debito , cuius causa videtur perpetua .

IV.

In Civitate Romanâ Jus parentum in liberos fuit qua-
si proprium , imò olim , sine fine ac modo , quum in
omnem

omnem vitam produceretur, quamvis filius summos in republica honores gessisset, & lege Romuli curiatâ, ac duodecim tabularum, filius in manu, potestate & mancipio patris esset, qui Jus haberet necis & vitæ, & ter venundandi; ita ut hac in parte patrium Jus dominico esset majus. Procedente tempore talis potestas, ut à pietate nimis longe recedens, meritò displicuit: permissumque patri, filium privatim castigare, ac, si graviorem pœnam merererur, ad magistratum deferre. Quod attinet ad liberorum nuptias, in iis parentum assensus ita desiderabatur, ut deberet præcedere, neque ratihabitio-ne retrò legitimæ fierent. Quin etiam parens in omni filiorum contractu autoritatem præstabat, ita ut, sine ea, non posset semet obligare, nec in judicio cum aliquo experiri. Neque omittenda filiorum post mortem tutela, quæ ita in manu patrum fuit, ut eam committere possent, quibus vellent, quamvis eos exheredâf-sent.

V.

Nostris moribus parentes absolutè in nuptias liberorum minorennum debent consentire; & si hi majores sint, non possunt dissentire, nisi subsit justa causa. Quæ tamen potestas in Hollandia differentiam in ætate liberorum agnoscit, filiorum nempè 25, filiarum vero 20, annorum, quum haec citius illis pubescant, & plerumque minus continentia habeant. Et quum Jure civili disputaretur, an matris consensus de honestate, an autem ex necessitate requireretur, more nostro decisum est, matrem etiam necessariò debere consentire. Nihil tamen refert, utrum

A 3 consen-

6 DISPUTATIO JURIDICA

consensus præcedat, an subsequatur; quum & h̄c mandasse dicatur, qui ratum habuit, ac ratihabitio actum initio nullum quasi retrò trahendo confirmet.

V I.

Liberorum res Jure gentium non æquè necessariò parentibus acquiruntur; cum & infans sit dominii capax, quamvis exercitium, ob judicij defectum, impediatur. Ex Jure civili provenit, quod pater hac in re à matre distinguitur, & filius suus ab emancipato, & naturalis à legitimo; nam natura horum discriminum est ignara. Hinc apparet, Romanos, suo more, liberorum peculia, non absque ratione distinxisse: profectio toto parentibus concessa: Adventitiū usufructū similiter, dum proprietas hujus apud liberos maneret, ut & Castrense, vel quasi. Ex eodem patriæ potestatis fonte Romanus liberis impuberibus in bonis adventitiis heredem dabant, sub formā pupillaris substitutionis.

V II.

Apud nos parens quidem omne consequitur, ex re suā, & operis filiorum; sed sub hoc moderamine, ut quod unus filiorum, labore & industria, in augmentum rei paternæ contulerit, id ei præcipuum sit in hereditatis paternæ divisione. Quin & ususfructus bonorum adventitiorum haud aliter patri datur, quam ut ex eo liberos alat; quod enim superest, hoc totum liberis reservare cogitur. Pupillaris substitutio plane est abolita, ut successio sola ab intestato probetur. De personis & rebus filiorum tantum-naturalium, & quousque patria potestas olim, & nunc circa eas locum habeat, nihil quicquam defi-

definiemus, ne materia nimium excrescat, solâ potesta-
te in legitimè quæfitos contenti.

V I I I.

Jam videñdum, quo modo patria potestas solvatur. Jure gentium, perfectum liberorum judicium, & abitus ex familia, iis propriam in omnibus potestatem ac Jus concedunt, solâ reverentiâ, quæ parentibus omni ætate debetur, salvâ. Romanis moribus patris Jus non annis, neque judicio, sed sub certâ formâ finiebatur. Mortuo enim avo, respectu defuncti, potestas desit; sed si pater in familia mansisset, nepos in ejus potestatem recidebat. Mors civilis ad idem valuit, nisi quod in captivitate apud hostes potestas patria magis esset in suspenso, quam exstincta, imo Jure postliminii restituenda. Dignitate quoque patriciatus, & postea consulatus, præfecturæ prætorio, urbi, Episcopatus, & omni, quæ liberaret à curiâ, filius à manu patris liberabatur. Quin &, si pater infantes exponi, & abjici curasset: si diu, sive ad decen-
nium passus esset filium suum vitam agere, ut sui Juris hominem, sua potestate non utebatur.

X.

Maxime solennis solvendæ potestatis modus erat eman-
cipatio, quæ olim uno nummo, certis verbis, libripen-
de, & quinque testibus præsentibus, per traditionem &
mancipationem patris naturalis & fiduciarii, perageba-
tur, in filio trinâ remancipatione & manumissione, &
in filia & cæteris liberis duntaxat unâ. Postea Imperator
Anastasius, neglecto hoc antiquo ritu, per suum rescri-
ptum Magistratui exhibitum, filios emancipari jussit,
modo

8 DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS.

modò infante maiores consentirent. Tandem ex constitutione Justiniani emancipatio facta est per solam professionem patris apud competentem judicem denuntiantis, se filium suo juri permettere. Quin & adoptione, quâ filius a suo patre naturali avo, vel uni ex ascendentibus tradererur, patria potestas in dante desinebat, & in accipientem transibat.

X.

Restat, ut inquiramus, quibus modis hæc potestas apud nos emoriatur. Primò, per nuptias liberi sui Juris efficiuntur, etiam minores. Imò, ipse viduus, vel vidua, licet minor, soluto matrimonio, in patriam potestatem non reddit: hæc enim semel extincta non reviviscit. Secundò, ipsa majorenitas, sive viginti quinque annorum ætas, liberos suæ curæ committit. Denique, separata habitatio pro emancipatione habetur, modo instituantur sciente & permittente patre. Non opus est, ut furor, prodigalitas, & similes eventus reconstentur, inter modos hujus potestatis solvendæ, nam liberos sui Juris non efficiunt. Unicè monendum, observantiam parentibus debitam nullo casu solvi, vel coarctati, quum naturæ sit debitum.

